

VEL PENTEC. DOMINO. EX GEN. III.

nem, vel permutationem; sed per unionem, ejusdemque simplicissimæ
 quidditatis, vel essentia, communicationem, aut identificationem,
 qualis identificationis conjunctio, vel ejusdem ad singulas personas
 essentia relatio, necessario Spiritui Sancto veram Divinam Essenti-
 am tribuit, sicut eandem tum Patri, tum Filio, convenienter attri-
 buit. (g) è divinorum attributorum competere, quia Spiritui San-
 cto competunt omnia Deitatis attributa, quæ singula tamen hic ex
 Historia Creativis adducere nolumus, aliqua saltem introduci-
 mus, ex quibus de reliquis facile judicium fieri potest, qualia sunt:
 (1) aternitas, quia Spiritus Sanctus est aternus, sicut alias dicitur, Heb.
 IX.14. dum fuit ante rerum initium, quod certissimum est aterni-
 tatis indicium. (2) Primitas, quia, tanquam primum Ens, fuit ante
 omnia reliqua, quæcunque fuerunt, sunt, & futura sunt. Primus
 autem, & Novissimus solus Deus est. Esa. XLI. 4. XLIV. 6. XLIX. 12.
 Apoc. I. 8. II. 8. &c. (3) Infinitas, dum incubat toti mundo crean-
 do, vel omni spacio ejus, sine finibus, sine terminis, sic vere dicitur,
 & est infinitus: solus autem Deus est infinitus. (4) Immensitas, dum
 mensurat totam massam, totum mundum, & à nullo mensuratur,
 aut mensurari potest: vere sic immensus, quod soli Deo proprium.
 (4) Omnisapientia, quia Deus in sapientia fecit omnia. Ps. CIV.
 24. Spiritus Creator igitur hic, ut sapientissimus, introducit. Conf.
 Esa. XI. 2. & passim alibi. (5) Omnipotentia, quia sua virtute pror-
 sus infinita, vel omnipotenti, non tantum incubat, sed etiam totam
 massam omnipotenter, & efficaciter penetrat, eamque sic præparat,
 ut ordine creaturæ singulæ, secundum jussum divinum, prodire po-
 tuerint. (6) Divina bonitas, quia cuncta fecit optime, v. 31. nihilq;
 suo videre divino, vel infinito, notare potuit in singulorum die-
 rum operibus, quod reprehensionem, vel emendationem admittere
 debuerit, sicut patet ex epiphonemate singulis diebus, & universæ
 creationi subjecto: Vidit Elobim hoc, vel illud, & Ecce bonum
 id erat. (7) Divina Majestas, qua super omnes creaturas eminent,
 & tanquam superior non modo cunctis incubat, v. 2. sed etiam de
 singulis pro majestate sua divina, pro sua plenipotencia judicat, &
 tanquam optime probata semper, ut verus Deus, gubernat. (8) Di-
 vina

vina